



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

Controversia XVIII. De applicatione requisita inter agens & passum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

per obscura lite munus arbitratoris obire, primas semper præcipuè in continuo permanenti Aristotelis opinioni dabo, tum propter Philosophi auctoritatem, aliorumque gravissimorum virorum, qui communi totius scholæ consensu, & plausu in hanc sententiam conspirarunt: tum etiam, quia si rectè tractetur partium infinitudo, solutione probabili destituta non sunt argumenta, quæ contra il-

lam sunt in continuo permanenti, quod defendi necessarium est, ne tota Mathematica scientia corruat. Quæ omnia me in continuo permanenti in Aristotelis sententiam trahunt cui libens subscribo, in successibus autem non inuitus abirem cum Zenone, quia me omnino latent solutiones ad argumenta facta punct. 6. contra partes in infinitum divisibiles continui per se successui.

LIBER SEPTIMVS PHYSICORVM.

CONTROVERSIA XVIII.

De applicatione requisita inter agens, & passum.

AMDEM ferè materiam apud Aristotelem continent liber septimus, & octauus, ideoque nonnulli Aristotelis interpretes hunc expungunt tanquam supposititium, & superuacaneum. Aristotelicum esse probant Simplicius, Auerroës, & D. Thomas apud Patres Conimbr. quibus similes disputationes libens committo. Multa, quæ in hoc libro disputari solent de sphaera, & actiuitate qualitatis & de modo, quo hæc agunt in passum aliis in locis, præcipuè in Generatione disputo, tantum hîc disputabo de approximatione requisita inter agens, & passum, de qua in hoc libro agit Aristoteles, & propriam apud illum huius rei disputatio sedem sibi vendicat.

PUNCTVM PRIMVM.

An agens possit agere in distans, quin agat in propinquum.

Pater Suarez tom. 1. Metaphysic. disp. 18. sect. 2. refert aliquos asserentes agens posse agere in distans quin agat in propinquum: in his adducitur Scotus, quem sui sequuntur; verumtamen cum subtilis Doctor asserat in causis physicis nullam posse agere in distans, quin agat in propinquum à communi sententia in nihilo discedit. Vna ferè omnium sententia est agens non posse agere in distans quin agat in propinquum, cuius auctores refert P. Suarez supra num. 20. & P. Hurtadus disp. 9. sect. 6. subsect. 1. quibus ipsi subscribunt. Probat P. Hurtadus cum P. Soario hanc conclusionem ex sollicitudine, qua natura vacuum horrescit, cuius nulla alia potest dari ratio, nisi quia corpora inferiora indigent aliis interiacentibus mediis quibus caelestes ebant influxus, quod si agens posset agere in distans, quin ageret in propinquum, non admodum inferiora corpora curarent ne vacuum daretur. Non placet hæc ratio P. Arriagæ, qui illam impugnat intendit disput. 7. sect. 6. subsect. 1. ex eo quod natura non ex hoc capite vacuum abhorreat: modum quo id probet Arriaga retuli, & retuli Controvers. 15. Punct. 12. ideo modo illi superfedeo. Probanda est conclusio manifesta experientia, qua videmus solem pariete interposito lucem non producere in aëre existente post parietem, neque obiectum visibile eodem pariete impeditum in eodem aëre species mittere, aliæque huiusmodi, quorum nulla alia potest reddi ratio, nisi quia agens non valet agere in distans.

quin agat in propinquum. Quia partes, seu quodcumque aliud corpus opacum non impedit lucem in aëre formaliter, quia formalis resistentia dicit informationem impediens in subiecto impedito, paries autem neque informat aërem, & ita non potest illum impedire ne patiat, neque luminosum efficiat, neque impediat actionem minuendo virtutem agentis, luminosum enim eandem intrinsecè virtutem in se continet appositio pariete inter ipsum, & aërem lucem recepturum, & pariete ablato: ergo præcisè corpus opacum productionem lucis in corpore à tergo existentis impedit non recipiendo in se lucem: ergo receptio lucis necessaria est corpori proximiori, ut agens illam diffundat in corpus distans.

Rationem hæc adducit Arriaga supra, atque ex illa clare reiici sententiam illorum, qui in occultas agentium naturas rem deducunt, quia id fieri potest, quando ignoratur ratio à priori, at quando clarissima experientia ratio reddi potest, quis vellet per latebras, & occultas qualitates, aut rerum naturas difficultates explicare? In præsentia autem Arriaga ait se claram reddere rationem, & ita ad tenebras confugiendum non esse. Ego semper tenebras totis viribus fugere procuro, & in disputationibus lucem ardentè amo, & accuratè affecto, nullam tamen in hac re apud Arriagam inuenio, qua possim in obscuras agentium naturas non incidere, si totam huius rei difficultatem percurro. Experientiam ab Arriaga adductam admitto, verum hæc à posteriori nobis conclusionem notam facit, illius verò rationem à priori assignandam non patefacit. Conuincor experientia agens non posse agere in distans, quin agat in propinquum, quia prædicta experientia video non agere in distans, quando non agat in propinquum, sed rationem peto. Dices experientiam ostendere requiri actionem in parte proximiori ut deat in distantiori, quod est ratio à priori conclusionis tradite, licet à posteriori nota, tota enim Philosophia in experientiam, quæ illius mater est ultimò reducitur. Contra: requiri actionem in passo proximiori, ut in distantius protendatur formalissimè est non posse agens agere in distans, quin agat in propinquum: ergo si dicas agens non posse agere in distans, quin agat in propinquum, quia requiritur actio in proximiori passo, ut extendatur ad passum distantius, conclusionem reddis pro ratione: ergo nullam rationem possumus experientia venari pro conclusione, de qua disputamus etiam ultimò in notitiam à posteriori acquisitam reducendam, sed immediatè experientia adducta conclusionem præ oculis ponit, & nos omnino ignaros rationis à priori, seu causæ rei experientia notæ relinquit.

Affirmo experientia consistere agens non posse agere in distans, quin agat in propinquum, & nullam huius conclusionis rationem à priori hucusque à Philosophis inuentam esse, sed in occultas agentium naturas recurrendum esse. Primam partem conclusionis probavi supra, posteriorem impugnatione rationum, quas pro conclusione prædicta solent adduci persuadebo. Non debet procedere difficultas casu, quo subiectum propinquum capax sit effectus recipiendi, quia tunc eadem virtute, qua agens acturum est in passum distans necessariò ager in propinquum, agens enim necessariò non potest non agere in passum capax illi applicatum.

applicatum, ac proinde in hoc casu absolute non posset non agere in propinquum, ac proinde non posset in distans, quin in propinquum ageret. Neque passum distans constituendum est extra sphaeram actiuitatis agentis, quia tunc etiam si ageret in propinquum in illud agere non potest. Causa difficultatis est, quando agens potest intra spatium duarum vlnarum agere & in prima vlna habet applicatum subiectum incapax effectus recipiendi, vel illius spatium vacuum est, & in secunda vlna applicatum est passum capax recipiendi effectum, quem agens produceret, si medium esset aptum: in hoc casu dixere nonnulli agens non posse agere in distans, quin agat in propinquum, quia actio est modus agentis, & modus non potest separari à re, cuius est modus: ergo actio debet esse propinqua agenti, insuper debet esse propinqua & penetrata cum passio: ergo passum, & agens debent esse propinqua, necessarium enim passum eandem propinquitatem et habitum cum agente, quam actio cum illo penetrata habere debet. Si aliquid probaret hac ratio, non tantum euinceret agens non posse agere in distans quin agat in propinquum, sed absolute non posse in distans agere, etiam si agat in propinquum. Ratio est manifesta, quia si actio ex eo quod sit modus agentis non potest ab illo separari, nulla actio poterit esse passio ab agenti distanti etiam si inter ipsam & agens intercedat alia actio eiusdem rationis, quia si ita daretur, esset separata ab agenti quod est contra rationem modi. Dices actionem illam esse approximata modum alia comparte actionis, & totam adaequatam actionem esse approximata. Contra: modus ea ratione, qua est inseparabilis ab agenti debet per suammet entitatem cum illo coniungi: sed qualibet pars actionis est modus agentis: ergo qualibet pars actionis per suammet entitatem debet coniungi cum agente ea ratione, qua est inseparabilis quatenus est modus illius: ergo si actio quatenus est modus agentis est inseparabilis localiter ab agenti: per suammet entitatem & non per aliam compartem debet qualibet pars actionis, quae est modus illius, esse immediate approximata agenti: secundo Sol producens lucem in diuersa subiecta nulla vnione connexa agit in illa per actiones inter se non vnitas, quotiescumque enim subiecta non vniuntur, formae in illis receptae nullam vnionem habent, & actiones terminorum vnionem non habentium vnitate non sunt: ergo actio ex vi cuius producit à sole lux in terra, vnita non est cum actione ex vi cuius producit ab eodem sole lux in aere: ergo non est approximata agenti soli, media alia comparte actionis, sed media alia actione adaequate distincta: ergo non est approximata localiter formaliter in ratione modi, quia modus non est approximatus rei, cuius est modus ea ratione, qua ab illa est inseparabilis medio alio modo, sed immediate per suammet entitatem. Affirmo actionem, ex eo quod modus agentis sit, tantum habere non posse existere independentem ab agenti tanquam à principio effectiuo, non tamen non posse separari localiter ab illo, neque ex conceptu modi habere inseparabilitatem loci, sed inseparabilitatem dependentem: hanc enim habet per suammet entitatem, & illam per praesentiam superadditam, quando illam de facto habet: inseparabilitas autem modi formaliter vt modi, illi conuenit formaliter per suammet entitatem quocumque alio superaddito secluso.

4 Contra doctrinam hanc non contemnenda confurgit difficultas, videtur enim inferri ex illa passionem posse à subiecto separari, quia formaliter vt modus tantum habet per suam entitatem respicere subiectum vt principium passuum, non tamen formaliter esse passio approximata, quia approximatio passioni conuenit non per suam entitatem, sed per praesentiam superadditam. Neque ad vnionem nos confugere tutum est, potest enim poni calor dependens à subiecto tanquam à causa materiali, & illi non vnitus, & tunc procedit difficultas cur non possit separari passio à subiecto. Imò de vnione idem procedit argumentum, quia vnio per suam entitatem tantum habet connectere vtrumque extremum non approximationem cum illis, quae illi conuenit media praesentia superaddita: ergo ex eo quod vnio sit modus non est inseparabilis localiter ab extremis: ergo poterit ab illis separari, & ipsa extrema inter se separata vnire, & poterit dari homo realiter existens, cuius materia sit Matriti, vnio Parisiis, & forma

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

Romae absque vlla alia approximatione partiū, & vnionis.

Antecedens, ex quo haec omnia deducuntur commune est inter Doctores, illius doctrinam tradunt omnes, qui asserunt posse agens de potentia Dei absoluta agere in distans, quin agat in propinquum, illationes has non omnes discutiunt, quae grauem continent difficultatem, non ex antecedenti ortam, sed ex ipsa materia, circa quam fiunt, vt ex his, quae iam subiicio constabit. Moneo in primis hanc illationem rectam non esse: *actio potest distare à principio actiuo: ergo à passiuo*, quia nemo tam arctam approximationem requirit inter actionem & principium actiuum, quam inter eandem actionem seu passionem, & principium passiuum, omnes enim asserunt passionem debere esse penetratam cum principio passiuo, & respectu actiuo approximatione mediata ratione alicuius compartis actionis, seu ratione alicuius actionis totalis eiusdem rationis contenti sunt. Idem dico de vnione, quam, si sit inter materiam, & formam etiam accidentalem omnes penetratam requirunt cum vtroque extremo, etsi integralis sit, saltem vtrique parti secundum suam entitatem, & non tantum media aliam immediatam exposcunt. Discrimen inter actionem respectu principij actiuo ex vna parte, & eandem ex altera respectu passiuo, & vnionem respectu extremorum potest sumi ex eo quod actio est modus extrinsecus agentis, passio verò seu eadem actio respectu subiecti, & vnio respectu extremorum sunt modi intrinseci, quod caput sufficiens est vt separationem concedere possumus actioni respectu principij actiuo, quam eidem respectu passiuo, & vnioni respectu extremorum denegamus. Qua ratione actio sit extrinseca principio actiuo, & intrinseca passio, & vnio intrinseca sit extremis explicui Controuerf. 4. Punct. 2. §. 4. Hac ratione satisfit consequentiae deductae ex antecedenti, quod modo defendimus, quid verò dicendum sit de veritate consequentis difficile est.

Non desunt recentiores, qui concedant posse vnionem separari localiter ab extremis nulla approximatione retenta, & totum substantiale subsistere, neque in hanc conclusionem nos parum trahit alia, quam defendimus Controuerf. 15. Punct. 7. videlicet posse totum ab omni praesentia absolui, ex quo inferitur vnionem posse existere non approximata extremis, quia casu, quo homo, & illius partes praesentiam non haberent, vnio non esset approximata partibus, neque partes inter se approximationem haberent. Insuper dixi eadem Controuerf. 15. Puncto 10. posse hos modos distare à subiectis, dum in vno loco sint illis approximata, ex quo inferitur distantiam ab extremis secundum se non repugnare vnioni: ergo si ex vna parte potest existere vnio non approximata extremis, quorum est vnio, & ex alia potest ab illis distare, saltem quando est approximata ex vi alius praesentiae, neque distantia secundum se, neque non approximatio secundum se repugnat vnioni respectu extremorum: ergo de potentia Dei absoluta poterit distare, & non esse approximata simul, in quo difficile poterit ratio repugnantiae in ordine ad omnipotentiam reperiri. Scio nonnullos asseruisse praesentiae vnionis modum esse praesentiarum extremorum, qui illas vnit, & constituit praesentiam quandam totalem ex praesentis partialibus materiis, & formis, & hac ratione praesentiam vnionis non posse separari à praesentia partium. De his praesentiam, quam modo habet vnio, modum esse praesentiarum materiis & formis, cur vnio habere non poterit praesentiam aliam distinctam ab hac, quae non sit modus alius praesentiae. Deinde etiam si omnis praesentia vnionis modus esset praesentiae partium diceret aliquis posse vnionem habere praesentiam modum praesentiarum partium distantium, à quibus distaret, quia illa praesentia modus non localiter vniret extrema, sed tantum in ordine ad constituendam quandam praesentiam totalem quam constitueret, etiam si praesentiae partiales, quarum esset vnio distarent, sicuti vnio distans à materia, & forma constituit hominem, sic alia praesentia modus distans à praesentis, quarum est vnio illas annexeretur, & constitueret praesentiam quandam totalem. Modus iste dicendi difficilior est priori, quia dat modum quandam vnionis, cui repugnat localiter cum extremis esse coniunctum, quia praesentia illa respiciens hoc spatium vnionis modus aliarum praesentiarum immobilis esset, & extrema haberet immobilia, ac proinde si semel ab illis distaret, essentialiter distaret, & non posset non distare.

H h Dari

Dari autem vnionem cui repugnat localis approximatio cum extremis mihi durum videtur, sed si aliquis audacter dicat hoc non repugnare, difficile poterit à sua sententia remoueri. Quod dictum est de præsentia vnionis respectu præsentiæ partium, eadem ratione applicata præsentiæ actionis respectu præsentiæ subiecti. Rem hanc passim terigisse sufficiat, quam alij ex doctrina tradita facile dirimere poterunt. Noto tamen hæc argumeta non procedere in opinionem, quæ in composito tantum vniam præsentiæ quantitatem, vel materiæ primæ constituit, ex vi cuius forma substantialis, modi, & accidentia reliqua præsentia sint, quia cum actio, vnio, materia, & quantitas sint præsentes ex vi eiusdem indiuisibilis modi supposita vnione ad subiectum, implicat modos, seu accidentia esse vnita subiecto, quin sint præsentia in eodem loco in quo est subiectum.

7 Venio iam ad obiectiones, quæ contra præcipuam conclusionem fieri solent. Obiicitur: Piscem quemdam, cui nomen torpedo, qui brachium piscatoris ligat nullo effectu in medio producto. Item magnetem ferrum attrahere, & fascinantem pueros distantes lædere, & herbam quamdam, cui nomen est Aproxis, quæ, teste Plinio lib. 2. cap. 108. ignem à longè accendit, idemque refertur apud eundem Plinium de Naphta quodam bituminis genere. Respondeo hæc omnia agentia agere non solum in passum distans, sed etiam in totum medium, magnes enim qualitatè in aëre producit, & simul in ferro, quæ aëris non est attractiua, sed ferri, ideo ferrum ad præsentiæ magnetis mouetur, & non aër, aut aliud corpus. Similiter torpedo, & fascinantes producant eandem qualitatem in medio, quam producant in viuente, hoc tamen lædi illa qualitate, & non aërem, quia iste non est capax damni, quod viuens patitur per receptionem illius qualitatæ. Item illa herba calorem, & alias qualitates producat in medio, in quo ignis non producit, quia non habet dispositiones illas, quas habet passum distans, ut formam ignis recipiat.

8 Secundò obiicitur: Quando aqua in igne calefit, aqua in profundo lebetis est frigida, & quæ est in summo illius est valde calida: ergo agens agit in distans, quin agat in propinquum. Experientiam non credit Arriaga, neque modum inuenit, quo possit fieri, mihi tamen de illa dubitare non licet, vidi enim cacabum plenum aqua supra ingentem rogum appositum, & feruescente aqua ab igne separari, illiusque latera præ nimio calore à nemine tangi posse, solumque quod immediatè flammæ tetigerant ab omnibus tangi, in quo calor moderatus valde sentiebatur. Id communiter tribuitur vaporibus terreis, & frigidis, qui descendunt ad fundum lebetis ascendentibus partibus aliis tenuioribus, quæ in fundo lebetis calorem concepere. Ne tamen in his immoremur respondeo, experientiam non probare agens agere in distans, quia agat in propinquum, quia ignis agit in partes laterales cacabi, mediis quibus potest agere in distantes, cur verò non agat in partes alias, quæ sunt in fundo lebetis, vel si agit cur recedat partes, in quas agit, & adueniant aliæ frigida ad præsentem difficultatem non attinet, ut bene notauit Arriaga.

9 Ex eo quod dixerim agens non posse agere in distans, Prad. 2. par. 113. men nullam huius conclusionis rationem à Philosophis art. 3. n. 77. hucusque traditam esse inuentam. Afferit me neminem legisse, aut audiuisse, vel legisse dissimulasse. Additque me debuisse expendere rationes, quas ipse adducit prius quam intrepide proferrem prædictam conclusionem ratione à priori non probari. Me neminem legisse, aut legisse dissimulasse, mihi que videri de omnibus Philosophis triumphasse, cum cum nullo pugnauerim, non pro occasione, sed pro consuetudine solita dicendi ab hoc Authore proferuntur, ideo de eis non curo, expendam modò rationes, quas à me non prius fuisse libratas nouis iste reprehendit.

10 Refert ex Soto 7. Physicorum quæst. 1. quod limitatio materiæ posset in causam afferri, ut forma, quæ est in materia, nequeat rem aliam mouere nisi tangendo. Ausus non est Soto absolute asserere, limitationem materiæ causam esse approximationis requisitæ ad agendum, sed tantum dixit, quod posset hæc causa designari, quo dicendi modo satis significat inopiam rationis pro hac conclusione, & ipsum rationi adductæ fidere, cui nullatenus fidentum est, ex illa enim nemo prudenter poterit intendere intentum persuadere, quod enim obdaret limitatio mate-

ria, ad hoc ut agens limitatum ad agendum intra duas vnitas tantum spatij in posteriori ageret, dum illius actio in priori impediretur. Vidit hæc Soto, & non id pro ratione, sed pro leui coniectura adduxit, & à Soto non dissentiens, inter rationes annumerandum esse non censeo.

Refert Capreolum in 1. dist. 27. quæst. vnica art. 2. ad 2. 11 dicentem agens quodam modo esse actum ipsius passi, & passum esse quodam modo in potentia ad agens: actus autem, & potentia de sua ratione sunt indistinctæ. In his, nec ratio, nec quodam modo ratio continetur, latissime enim principium actuum principij passi actus dicitur (est actio merito talis dicatur) & ita ex hoc solum metaphorico dicendi modo conclusio probanda nullatenus deducitur, neque illam videtur Capreolus intulisse, sed tantum ex antecedenti conicere inter agens, & passum non eam debere esse distantiam, quæ passum extrahatur ab agentis sphaera.

Ex Nazario, & Carmelitanis rationem ab ipsis datam 12 his verbis refert. Nam si actio, quæ est productio effectus, & ipsa datio & comunicatio esse, & entitas respectu illius non potest non esse coniuncta cum eodem, siue per inheretiam, siue per identitatem, siue per intimam adhesionem vel tandem per propinquitatem. Do consequentiam parum firmam ex incompto antecedenti, vi illius non inferunt eam formantis determinate approximationem, sed coniunctionem aliquam, siue per identitatem siue per intimam præsentiæ, seu approximationem, quapropter concessa propositione disunctiua, poterit negari pars illa intimam præsentiæ, & approximationem importans. Deinde totum hoc omnino est extra rem, quia in prædicto discussa non inferitur coniunctio inter principium actuum, & passum, de quorum approximatione agitur, seu coniunctio inter actionem, & effectum, de quorum approximatione hic non tractatur.

Rationem aliam adducit ex Ioanne à Sancto Thome, 14 quæ his clauditur, effectus exit ex concursu passi, & agentis: oportet ergo, quod virtus sit coniuncta passo. Ita nulla ratio conclusionis datur, inquirimus cur ad hoc ut actio exeat ab hoc agente in hoc passo requiratur approxi-

15 Deinde subiungit rationem aliam à posteriori videlicet, quia non esset unde limitaretur sphaera agentis. Rationem à posteriori conclusionis prædictæ dari non negauit, ibi dixi intelligendam esse quæstionem intra sphaeram agentis.

16 Quousque alios legat, hic Author, apud quos rationem aliam inueniat, mihi credat dicentem hucusque à priori in hac quæstione designatam non esse, sciat nullam non solum non legisse, sed nec cogitasse nec illam reddere, valitum esse, quo abique cuiusvis doctissimi iniuria de eo dicere postero, cum hucusque nemo illam reperit. Annaduertatque rationes à priori, non merere quæcumque dicta, quæ nec leuis coniecturæ nomen merentur.

PUNCTVM II.

Quanta debeat esse approximatio inter agens, & passum.

Dixi non posse agens agere in distans quin agat in propinquum, ex quo inferitur semper in agente requiri approximationem ad passum, restat modò dicendum an hæc approximatio debeat esse immediata, vel mediata, & quale sit medium sufficiens ad illam.

PRIMA CONCLUSIO: Partes remotiores agentis sufficienter applicantur mediis aliis partibus eiusdem agentis proximioribus, & immediatis passo in quibus nihil producant. Quia calor in aëre vel in manu non tantum producit à superficie ignis, sed à partibus prioribus, & posterioribus ignis: sed partes posteriores, seu remotiores ignis non agunt in priores & passo proximiores eiusdem ignis: ergo sufficienter applicantur remotiores & mediis propinquioribus. Maior probatur: si ignis tantum ageret secundum extimam superficiem passo immediatam, non intensior calor produceretur ab ingente igne, imò neque à pluribus ignibus coniunctis, quam ab indiuisibili superficie, sed oppositum suadet experientia: ergo calor procedit à parti

à partibus prioribus & posterioribus agentis. Minor non indiget probatione, cum enim omnes partes ignis sint eiusdem rationis, non potest una agere in aliam. Ratio à priori est, quia partes priores, & posteriores indiuisibiliter concurrunt per eandem actionem per modum vnius principij, & ita sufficit omnes simul sumptas per modum vnius agentis esse passio approximatas.

3 **SECUNDA CONCLUSIO:** Agens potest per se ipsum immediatè agere in partes distantes aëris si adiuuetur effectui ei usdem rationis in medio producto. Conclusio nem hanc multis experimentis probat Ariaga, quæ facile possunt impugnari: ex his, quæ referuntur pro hac conclusione, efficacior adduco. Quando lux ingreditur per fenestram partes collaterales aëris minorem recipiunt lucem, quam illas, quæ directè solem respiciunt: ergo Sol producit lucem in partibus aëris, quas linea recta respicit, alias lux æquè intensa produceretur in partibus aëris directè soli oppositis, & in aliis collateralibus, quia lux existens in medio aëre æquè versùs omnem partem lucem produceret, si ipsa sola, & non sole adiuta aliquas partes aëris illuminaret. Ratio à priori huius conclusionis ex precedenti facile desumitur, effectus productus in medio habet virtutem ad producendum alium eiusdem rationis vt supponimus, præcipuum agens habet similem virtutem, siquidem produxit hunc effectum eiusdem rationis cum producendo: ergo effectus productus, & agens, quod illum produxit possunt per modum vnius principij totalis influere in effectum productum in parte alia passij, quæ semper erit immediata principio adæquato composito ex primo agente præcipuo, & ex effectui ab hoc producto concurrentibus per modum vnius principij totalis, atque adæquati.

4 **TERTIA CONCLUSIO:** Vt agens producat effectum in partibus remotioribus passij sufficit produxisse in proximioribus effectum eiusdem rationis, etiam si non adiuuetur effectui in proximioribus producto ad alium similem in distantioribus producendum. Exempli gratia: etiam si lux non esset productiva alius lucis, Sol posset postquam in partibus proximioribus passij lucem produxit illa non adiutus lucem in remotioribus producere. Probo hanc conclusionem, nulla est ratio à priori neque à posteriori, quæ suadeat agens indigere auxilio partium propinquarum passij ad agendum in remotiores: ergo dicendum est posse agere in partes remotiores passij proximioribus non adiutum. Secundo: partes remotiores agentis sufficienter approximantur passio mediis propinquoibus, etiam si hæc nihil patiantur: ergo partes remotiores passij sufficienter erunt approximatae agenti mediis aliis proximioribus eiusdem passij etiam si hæc nihil agant. Vltimò efficacius: Quando producit solet in opinione omnium asserentium produci à substantia creata partes formæ substantialis, partes passij non sunt omnes applicatae immediatè per se principio producenti, neque partes formæ productæ in partibus subiecti immediatè applicatæ conducent ad producendas alias compartes in partibus subiecti remotioribus, quia forma substantialis, quæ tantum quantitatem requirit vt sit, eandem requirit ad operandum, & non potest intelligi in minori alia apta vt operetur: ergo agens tantum applicatur ad producendam partem formæ in partibus subiecti remotioribus media productione in proximioribus aliarum partium eiusdem formæ, quæ in productionem aliarum actiue non influunt: ergo agens potest agere in partes remotiores subiecti etiam si effectui eiusdem rationis in propinquoiori producto non adiuuetur ad operandum.

5 **QUARTA CONCLUSIO:** Agens non potest producere in passio distanti effectum diuersæ rationis ab illo, quem produxit in propinquo, si non adiuuetur effectui in propinquoiori producto ad producendum effectum in remotiori. Probo hanc conclusionem: Sol producit calorem in pariete, manus enim applicata parieti calefit, & aërem inclusum in cubiculo calidum experimur, si illius parietes soli obiciantur, quantumuis illius fenestræ clausæ sint, nihilominus non potest in eodem cubiculo fenestris clausis lucem producere: ergo non sufficit produxisse effectum in subiecto propinquo ad alium diuersæ rationis producendum in passio distanti, quando effectus in propinquo productus ad productionem effectus in subiecto distanti non conducit. Adde contra P. Hurtadum non sufficere effectum productum in passio propinquo esse formam dispositionem ad producendum in passio distanti vt medio illo ap-

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

plicetur virtus agentis, quia effectus productus in medio etsi ex natura sua dispositio esse posset ad effectum producendum in passio distanti, de facto existit in subiecto distincto ab illo, in quo effectus est producendus, & nulla forma existens in hac parte subiecti seu in hoc subiecto potest disponere ad effectum producendum in alia parte subiecti: seu in alio subiecto adæquato: v. g. calor receptus in hac parte aëris non potest disponere ad formam producendam in materia alijs partis aëris, seu in materia terræ, etiam si forma producenda calorem exigit tanquam propriam dispositionem: calor enim in aëre receptus perinde se habet, ac si non esset in ordine ad disponendam materiam ligni ad formam ignis recipiendam: ergo calorem esse dispositionem ad formam ignis nihil conducit vt medio calore recepto in aëre possit virtus solis sufficienter applicari ad producendam formam ignis in subiecto, cui medio aëre localiter applicatur.

6 Ex his inferes iuxta nostram sententiam negantem accidentibus virtutem actiuam adhuc inæquatam ad substantiam producendam, solem non posse actiue concurrere ad metalla in visceribus terræ producenda, quia non producit in medio effectum eiusdem rationis, & effectus alijs diuersæ rationis, accidentia videlicet in aëre producta non possunt actiue concurrere adhuc inæquatè ad formas substantias metallorum producendas, ac proinde media productione illorum non sufficienter applicatur virtus actiua solis ad producenda metalla in subiectis distantioribus. In opinione verò, quæ virtutem actiuam, saltem inæquatam respectu substantiæ tribuit accidentibus, dici potest solem adiutum calore, alijsue qualitatibus in medio productis posse actiue in formas metallorum influere. Neque inconueniens est in nostra sententia virtutem hanc soli, & alijs corporibus celestibus negare, quia illam possumus alijs naturalibus causis, videlicet elementis tribuere, & asserere aurum, & alia metalla conuentu elementorum actiue produci inæquatè à quocunque elemento, & adæquatè ab omnibus simul sumptis. Deinde necessariò recurrendum est ad Deum, vt aliquas viuientium formas producat, quæ non possunt principiis non viuentibus tribui, eademque ratione possumus pro aliarum formarum substantiarum productione recurrere.

PUNCTUM III.

An agens possit de potentia absoluta agere in distans, quin agat in propinquum.

1 **A**ffirmatiuam partem satis innui puncto 1. quam ex ibi dictis breuiter hic propugnabo. P. Molina l. p. q. 8. art. 1. disp. 2. P. Rub. lib. 7. Physic. q. 2. cap. 2. & alij pluri mi asserunt neque diuina intercedente potentia posse agens agere in distans, quin agat in propinquum. Eminenti ssimus admodumque venerandus N. Card. Bellarm lib de Sacrament. in genere cap. 2. PP. Conimb. lib. 7. cap. 2. q. 2. Pater Soar 3. part. quæst. 18 disp. 3. sect. 2. quibus ego libenter subscribo affirmant diuina intercedente potentia posse agens agere in distans etiam si nihil in propinquum agat.

2 Sententiam, quam defendendâ suscepi sic probo. Agens ex eo quod ageret in distans, & non in propinquum nihil produceret neque quo ad substantiam effectus, neque quo ad modum aliquem tenentem se ex parte termini producti distinctum ab illo, quod produceret quando ageret simul in propinquum: ergo nihil produceret, quod sit supra virtutem, & potentiam intrinsecam agentis. Consequentia est per se nota, antecedens efficaciter probo: Inuariato quoad substantiâ, & quoad modum effectui producti in passio distanti, quando agens agit simul in propinquum, & in distans, ex eo præcisè, quod intelligatur negatio effectus, & actionis in passio propinquo agens agat in passum distans, quin agat in propinquum: ergo ex eo quod agens agat in passum distans, quin agat in propinquum ex parte termini producti neque quoad substantiam, neque quo ad modum aliquid est distinctum ab illo, quod esset, si agens ageret simul in propinquum, & in distans. Hoc stabilito argumentor sic: effectus producendus in passio distanti nullo alio in propinquo producto non est quoad substantiam, neque quoad modum tenentem se ex parte termini formaliter producti supra virtutem agentis: quod potest

potest illum producere, quando producit effectum in passo propinquo: ergo potest Deus determinare virtutē agentis ad talem effectum producendum, etiam si ratione distantie seu ex defectu conditionis non exigeret talem actionem. Probo consequentiā: in elevatione huius agentis Deus non constitueret virtutem agentis producentem effectum aliquem, quem ex se non posset producere, imò neque suppleret aliquam inadæquatam virtutem, quam Deus in aliis causis passim supplet, sed tantum conditionem quandam requisitam ad agendum: ergo poterit illum supplere, & talem elevationem præstare. Confirmatur approximatio requisita ex parte virtutis ad agendum non physice influit in effectum, sed tantum est id, quo posito agens necessarium aliās potens determinatur ad agendum: ergo deficiente approximatione inter agens, & passum nihil virtutis deficit ad effectum producendum, sed tantum conditio determinans ad agendum, sed Deus potest virtutem agentis ad actionem determinare, etiam si non ex se, neque ratione aliās circumstantiæ determinata sit: ergo Deus potest supplere approximationem ad actionem requisitam. Virgeo: approximatio requiritur ut virtus ex se potens producere effectum ex vi approximationis, & aliarum circumstantiarum, exigit Deum concurrere in actu secundo ad effectum producendum, & ut Deus determinetur ad concurrendum in actu secundo cum causa creata: sed potest causa creata concurrere non exigente, neque ab illa determinatus ex vi aliquius exigentiæ, à se determinari ad illum concursum præstandum, quia quidquid Deus potest facere ad exigentiam causarum potest facere pro sua libertate: ergo potest Deus concurrere cum causa secunda ex se potente, etiam si causa secunda hic, & nunc concursum non exigit: ergo seclusa approximatione, ratione cuius causa secunda exigit concursum poterit Deus cum illa concurrere ad producendum effectum in passo non approximato. Probat hæc ratio, agens posse agere in distans, quin agat in propinquum, non solum intra suam actiuitatis sphaeram, sed etiam in quacunque alia distantia.

3 Obiicies: Agens non potest agere in tempore, in quo non est: ergo neque in loco in quo non est. Concedo antecedens, nego consequentiam, & disparitatem reddo. Agens, quod non habet existentiam in hoc tempore non habet existentiam in alio, sed illam habuit, vel habebit in tempore, quod non est, sed fuit, vel erit, cum verò agens requirat existentiam actualem ad operandum requirit durationem tempore, quo operatur, hæc est enim legitima consequentia: agens non habet existentiam in hoc tempore: ergo absolute non habet existentiam: hæc autem mala: agens non habet existentiam in hoc loco: ergo absolute non habet existentiam, quia potest illum habere in alio loco huic coexistente, ac proinde non ex eo quod agens requirat existentiam ad operandum requirit præsentiam in eodem spatio in quo est passum vel effectus, requirit tamen durationem in eodem tempore, in quo effectus est producendus, sine qua existentia subsistere non potest. Instabis, sicuti agens potest existere in alio loco ita potest existere in alio tempore distincto ab illo, in quo producit, & existit effectus. Nego illud *sicuti*, quia existere in alio loco est absolute existere, & æquè existit, quod existit in hoc loco, & in alio; existere autem in alio tempore non est existere, sed extitisse, seu exiturum esse, ut latius expendebam Controv. 16. punct. 1.

4 Obiicies secundò. Ad operandum hic requiritur præsentia hic: ergo agens non potest operari in hoc spatio, quin sit in hoc spatio. Magna latet æquiuocatio in termino *hic*, qui vix repetitus potest sumi semper ex parte eiusdem termini, vel potest modo ex parte huius, modo ex parte illius. Si semper sumatur ex parte eiusdem termini hunc sensum præstare poterit ut agens existens hic, producat effectum debet existere hic, & tunc vera erit propositio, sex qua tantum licebit inferri: ergo ut agens existens in hoc loco producat effectum debet existere in hoc loco. Secundò potest ex parte termini sumi terminus *hic*, & tunc propositio hunc reddet sensum, ut agens producat effectum existentem hic, debet effectus existere hic, & tunc similiter vera erit propositio, ex qua tantum poterit inferri: ergo non poterit produci effectus non existens in hoc loco. Si terminus sumatur modo ex parte huius termini, modo ex parte illius faciet hunc sensum: ad hoc ut operetur agens existens hic requiritur effectus præsens hic,

in quo sensu neganda est propositio, quia agens existens in hoc loco producit effectum existentem in alio loco distincto, quod necessarid contingit omni agenti, quod in extraneo subiecto, cum quo nequit penetrari, effectum producit.

Obiicies tertio. Agens non potest agere naturaliter in passo distans, neque extra suam sphaeram: ergo neque supernaturaliter: quia nulla causa potest eleuari ad id, quod est supra suam virtutem intrinsecam, ut patet in quacunque potentia vitali, quæ non potest eleuari à Deo ut versetur extra suum obiectum. Respondeo distinguendo primum antecedens: agens non potest agere naturaliter in passo distans neque extra suam sphaeram ex defectu virtutis, nego antecedens: ex defectu conditionis, concedo antecedens: Deinde nego consequentiam. Ad illud, quod dicitur de potentia non potente versari extra suum obiectum respondeo: id provenire non ex defectu conditionis requisitæ ex parte virtutis, sed ex defectu eiusdem virtutis adhuc inchoatæ, seu inadæquatæ, qui defectus à Deo suppleri nequit in ipsa virtute, quia entitas intrinsecæ impotens, non potest fieri intrinsecæ potens, defectus autem agentis ad agendum in passo distans, & intra suam loci sphaeram tantum est defectus cuiusdam conditionis, quam Deus potest supplere.

Obiicies quartò. Hæc actio hic, & nunc dependet ab approximatione non media alia causalitate: ergo per se metipsam: ergo non potest non dependere ab approximatione, quia quidquid convenit actioni per suammet entitatem, neque diuinitus potest ab illa separari. Neque satisfit dicendo dependere ab approximatione non tantum à virtute, sed tanquam à conditione, redit enim iterum idem argumentum: actio hæc dependet ab approximatione tanquam à conditione per suammet intrinsecam entitatem: ergo non potest non dependere ab illa tanquam à conditione, quidquid enim per suammet entitatem illi convenit, eo modo, quo convenit non potest ab illo separari. Respondeo actionem hic & nunc dependentem ab hac approximatione non dependere ab illa adæquatè intrinsecè per suammet entitatem, aliās neque de potentia Dei absoluta posset hæc actio non dependere ab hac numero approximatione agentis, & passi quod in omnium opinione falsum est, sed dependere per coexistentiam actionis cum approximatione, & per decretum Dei, quo ex prævisione approximationis, seu causæ approximate agentis concursus ex vi talis exigentiæ se determinavit ad concurrendum hic, & nunc. Quapropter si in instanti, in quo sunt approximata agens, & passum Deus decerneret concurrere cum agenti ad producendum effectum in passo independentem ab illa approximatione, ita ut illa seclusa ex vi eiusdem decreti eundem concursum præstaret agenti, quod illum non exigeret ex defectu applicationis, influxus, seu actio illa nullo modo ab approximatione dependeret, quia actio eatenus dependet ab approximatione, quatenus hæc moraliter Deum determinat ad illum præstandum, qua morali determinatione seclusa nulla foret dependentia actionis ab approximatione. Solet obiici hic actionem esse modum agentis, ac proinde non posse ab illo separari; sed hoc latè puncto 1. Vbi probavi ex hoc capite neque naturaliter repugnare agens agere in distans nihil operando in passo propinquo.

PUNCTUM IV.

An approximatio causarum requiratur ex parte actus primi, seu sit prior natura respectu operationis.

Disimus approximationem agentis ad passum requiri ut causa effectum producat: Est modo disputatio quomodo hæc approximatio requiritur. Communis huiusque sententia docuit approximationem se tenere ex parte actus primi ad effectum producendum, neque de hoc specialem disputationem instituit Doctores. P. Arriaga modo questionem hanc acutè movit, in qua plus quam par esset sue rationi tribuit forsitan, quia nondum Lydio lapidi alienæ mentis examinandam proposuerat.

Fundamentum communis sententiæ breuiter, fideliterque ita refert Arriaga: Ignis non potest calefacere lignum nisi illi sit approximatus: ergo approximatio est conditio

ad calefactionem : ergo est prior natura. Contra hunc discursum sic arguit Arriaga disputatione 7. sectione 6. subsect. 4. sicuti ignis non potest calefacere lignum nisi illi sit approximatus, ita animal non potest mouere corpus distans, nisi aliquid producat in medio, eadem enim est vtriusque ratio vt experientia demonstrat, sed animal vt moueat corpus nō requirit approximationem pro prior natura: ergo neque ignis vt calefaciat lignum. Maiorem & consequentiam putat Arriaga euidenter esse: minorem probat: animal per motum producit presentiam, quam habet mobile in instanti, in quo mouetur: ergo presentia illa non est prior motu: ergo neque approximatō, hac enim formaliter includit presentiam agentis, & passi. Dicit quisque rationem esse diuersam, quia per motum localem producit presentiam, in qua sita est approximatō, & ita ad motum localem hac supponi nequit: per motum verō calefactionis non producit presentiam, neque mobile approximatum constituitur, & ita deberi aliunde ad motum hunc supponi subiectum approximationem. Sed contra hanc differentiam sic arguit Arriaga: etiam si per motum producat presentiam, non possum ego mouere corpus existens Romæ: ergo vt moueam corpus requiritur indistantia inter me, & corpus: ergo sicuti hac saluatur, etiam si approximatō positiua non se teneat ex parte actus primi, sic indistantia requisita ad calefactionem saluari poterit etiam si approximatō positiua ex parte actus primi non supponatur. Similiter arguit, & solutionem aliam præoccupat: si dicatur ad motum localem sufficere supponi approximationem negatiuam, & positiuam non requiri, cui dici non poterit eandem approximationem negatiuam sufficere ad motum calefactionis, & non requiri aliam positiuam? Ex hoc fundamentum concludit Arriaga ad operandum in passo requiri approximationem positiuam in instanti temporis, in quo est operatio, hanc tamen non requiri pro priori naturæ ante operationem, quod putat euidenter inferri ex fundamentis ab ipso adductis, quidquid autem roboris habet iam retuli, alia enim, quæ adducit & postea referam, ad supra relatam reduci debent, vel nullius sunt momenti. Multa inuoluuntur in hac re, quæ magna indigent distinctione quarum confusio sententiarum Arriagæ vim dedit, illa aliquibus conclusionibus dissoluam, quibus rei obscuræ nimis non nihil lucis dabo.

PRIMA CONCLUSIO: Nulla entitas indiget presentia ex parte actus primi vt propriam presentiam in genere causæ efficientis efficiat, neque vt illam patiat in genere causæ materialis. Ratio est per se nota: ex vi talis actionis, seu passionis constituitur præfens principium, à quo procedit: ergo non potest supponi præfens. Probo consequentiam. Principium illud non potest supponi præfens per presentiam ad quam terminatur talis actio, seu passio, quia implicat supponi presentiam pro priori naturæ ad causalitatem, ex vi cuius producit. Neque potest supponi præfens per aliam presentiam, quia in instanti temporis, in quo est actio, seu passio terminata ad presentiam huius subiecti, non potest subiectum habere aliam presentiam, alias in eodem instanti temporis haberet duplicem presentiam, quamdam, quæ supponeretur ad motum, aliam, quæ ex vi motus produceretur: ergo principium passiuum, aut actiuum propriæ presentie non potest supponi præfens in priori naturæ ad actionem, seu passionem terminatam ad propriam presentiam. Conuenio in hac conclusione cum Arriaga, quam fundamenta ab ipso adducta efficacissimè conuincunt.

SECUNDA CONCLUSIO: Omne agens requirit ex parte actus primi propriam presentiam, vt producat presentiam in subiecto à se distincto, quod sic probo: Presentia principij producentis alienam presentiam requiritur saltem in instanti temporis, in quo talem presentiam producit: ergo requiritur tanquam quid consequens illam actionem vel tanquam quid illam præcedens, non tanquam quid consequens, quia ex vi illius actionis neque termini, quem ipsa actio respicit, principium non constituitur præfens: ergo requiritur tanquam quid præcedens ipsam actionem: ergo requiritur ex parte actus primi, quidquid enim requiritur ad actionem tanquam quid illam præcedens, requiritur ex parte actus primi, & ad illam in priori naturæ supponitur.

Dicere posses presentiam agentis non requiri neque antecedenter, neque consequenter, sed tantum comitanter.

Franc. de Oniedo, Philosoph. Tom. I.

Contrà: requiri aliquid comitanter ad actionem est non requiri propriè & per se, sed esse identificatum seu connexum cum aliquo, quod per se requiritur, à quo si posset separari nullo modo requireretur, & æquè bene sine illo fieret actio, quidquid enim per se requiritur, vel prærequiritur vt sit actio, vel ex vi illius tanquam quid posterius formaliter inferitur, sed presentia agentis non requiritur ad presentiam subiecti extranei producendam, tanquam quid identificatum seu connexum cum alio, quod per se requiritur, quo posito sine presentia agentis extranea produceretur: ergo non requiritur comitanter: ergo antecedenter, vel consequenter. Maior est omnino certa, neque alia ratione explicari potest quid sit comitanter requiri. Minorem probat: si presentia propria ad alienam producendam comitanter requireretur, tantum esset requisita tanquam quid consequens, seu connexum cum substantia agentis alienam presentiam producturi, quod eadem produceret eodem modo, si in instanti temporis subfiteret sine propria, sed non requiritur hac ratione propria presentia ad alienam producendam, alias si hoc agens existeret sine illa omni presentia nudum posset in subiecto extraneo presentiam producere, & mouere corpus in quocumque loco existens, quod est plusquam falsum: ergo presentia propria agentis per se ipsam requiritur ad alienam presentiam producendam, non consequenter, vt probauit: ergo antecedenter: ergo presentia propria se tenet ex parte actus primi ad presentiam alienam producendam.

TERTIA CONCLUSIO: Nullum agens potest 6
producere presentiam alienam nisi respondentem spatio immediato agentis, ex vi cuius agens, & passum, quod illam recipit sint approximata. Ratio est, quia ad producendum quemcumque effectum etiam presentiam in subiecto extraneo requiritur approximatō in illo instanti temporis, in quo est productio: ergo in illo non potest subiectum distare: ergo non potest agens producere presentiam in passo, vi cuius constituitur distans in illo instanti, in quo patitur ab agente & necessariò debet esse illi approximatum. Secundo nullum agens potest agere in passum distans, quin agat in propinquum, sed si agens produceret presentiam in subiecto, ex vi cuius constitueretur distans secundum se totum ageret in passum, quod distaret in eodem instanti temporis, in quo pateretur ab agente: ergo ageret in passum distans nihil agendo in propinquum, quia si secundum se totum distaret passum quod pateretur ab agente, medium interiacens propinquius agenti nihil ab isto reciperet.

Ex hoc inferes nullam viuens posse immediatè & per se 7
sine impressione impulsus corpus aliud mouere nisi simul cum illo moueatur. Ratio est quia si passum moueretur à viuente immoto sequeretur viuens producere presentiam mobilis in passo distanti, quia ante motum passum non erat penetratum, sed tantum immediatè approximatum: ergo si agens permanens in eodem loco passum contiguum in alio constitueret, illud à se remoueret, & produceret presentiam distantem ab spatio, quod occupabat, quod fieri non posse probauit. Requiritur ergo vt viuens moueat aliud corpus prius naturæ viuens moueri, & acquirere presentiam in spatio, à quo aliud corpus mouetur, quæ noua viuents presentia simul cum illo se tenet ex parte actus primi ad motum, quem viuens in alio corpore producit. Ex eadem conclusione potiori ratione inferitur mobile in hoc instanti recipiens impulsus ab hoc agente, non posse ex vi eiusdem impulsus in eodem instanti moueri, quod sic probo. Si passum in hoc instanti ex vi impulsus moueretur, separaretur ab agente, & constitueretur distans ab illo: ergo in instanti, in quo recipit impulsus ab agente est distans ab illo: ergo agens agit in distans, & non in propinquum, eo enim ipso quod separatur totum corpus, quod recipit impulsus, aliud quod est interiacens impulsus non recipit, ac proinde agens in passo distanti, & non in propinquo impulsus produxit.

Obiicit Arriaga impulsus productus eandem virtutem 8
habet mouendi corpus in primo instanti, in quo producit, & in vterioribus: ergo illud mouebit in primo instanti aut in nullo alio. Nescio an consequenter dicat Arriaga corpus recipiens impulsus mouendum esse in illo instanti, in quo illum recipit, ex quo intendit probare non requiri approximationem ex parte actus primi, quia in

H h 3 sua

sua sententia etiam si approximatio non requiratur in priori natura, ad motum alterationis requiritur in illo instanti temporis, in quo fit motus, sed si mobile moueretur in instanti, in quo recipit impulsus, & distaret in instanti temporis in quo illum patitur ab agente: ergo non solum supponeretur approximatio pro priori natura, sed neque daretur pro instanti temporis, in quo est motus alterationis cuius oppositum defendit Arriaga cum communi sententia, ne concedat agens agere in passum distans, & non in propinquum. Ad argumentum respondeo impulsus eandem virtutem habere mouendi corpus in primo instanti, & in secundo, illud tamen moueri in secundo, & non in primo quia in primo instanti impulsus supponit approximationem passi cum agente, quam in illo instanti non potest destruere, quia nihil potest corrumpi in illo instanti, in quo supponitur, in secundo vero instanti non supponere impulsus ad sui conseruationem hanc approximationem, quia potest conseruari à Deo, & ita posse illam destruere, & corpus mouere.

9 *QUARTA CONCLUSIO:* Ut viuens immediate, & per se moueat localiter corpus illud, non supponitur approximatio ex parte actus primi inter agens, & passum. Ratio est manifesta: approximatio dicit praesentiam vtriusque extremi approximati, agentis videlicet, & passi: ergo non potest supponi approximatio, quin supponatur vtrique praesentia, sed praesentia mobilis non potest supponi ad receptionem ipsius praesentiae, vt probauimus conclus. 1. ergo non potest supponi illius approximatio cum principio: requiritur ergo tantum ex parte actus primi vt viuens localiter moueat corpus aliud, praesentia ex parte principij mouentis, non vero ex parte mobilis, & consequenter non requiritur ex parte actus primi, seu in priori natura ad ipsum motum approximatio inter mouens, & mobile, sed tantum hac requiritur in instanti temporis, & consequenter ad motum, ex vi cuius mobile tantum potest constitui in spatio agenti immediato, vt dicebam conclusione tertia.

10 *QUINTA CONCLUSIO:* Ex parte actus primi debet supponi approximatio inter agens, & passum, ad quemcumque effectum distinctum à praesentia producendum. Probo hanc conclusionem. In omnium sententia in instanti temporis, in quo agens agit in passum, requiritur approximatio positua: ergo vel requiritur comitanter ad principium praerequisitum ad motum, vel consequenter vel antecedenter: non potest requiri consequenter, ad motum non terminatum ad praesentiam, quia ex vi huius non sequitur praesentia & consequenter neque approximatio, quae non alio modo producit, quam per productionem praesentiae; non requiritur tantum comitanter, quia si ita requireretur, permanente virtute productiua, motus alterationis cum reliquis omnibus, & seclusa praesentia fieret motus, quia ex defectu praesentiae illius, quod requiritur comitanter, si hoc non est identificatum cum illo quod per se requiritur, non potest deficere motus: ergo alio modo requiritur: ergo antecedenter. Si dicas requiri tantum comitanter, & concedas reliquis permanentibus, seclusa praesentiae approximatione, illo instanti temporis motum alterationis eodem modo praestandum esse inferitur necessarium ablata praesentiae approximatione inter agens, & passum, praesentiae per detractionem vtriusque praesentiae agens posse agere in passum, & consequenter quod si res omnes praesentiae expoliarentur, posset hic ignis agere in omnia subiecta creata, quia nihil deficeret praerequisitum antecedenter, aut consequenter, sed tantum comitanter, sine quo dummodo non deficiat illud, quod comitatur, & ratione cuius comitanter requiritur, aequè benè sit actio, hoc autem admitti absurdum est: quis enim concipiet ex eo praesentiae quod careant approximatione, positua praesentiae, aliqua, seu omnia entia creata esse apta vt inter se agant, & reagant, & posse hunc ignem in quodcumque aliud subiectum creatum agere. Ratione etiam probatur à posteriori, non posse dici, posse agens nudum omni praesentiae agere in passum eadem absolutum. Si posset esse influxus inter agens, & passum non approximata, sequeretur posse esse eundem influxum, etiam si positiuè distarent, & nullam haberent approximationem. Consequens est falsum: ergo & antecedens. Sequelam probo. Distantia secundum se formaliter sumpta non impedit influxum, sed quatenus impedit approximationem posituam: ergo si approximatio

positua necessaria non est, distantia nihil obest. Consequentia est necessaria: antecedens probo. Si passum duplicem praesentiam haberet, & ex vi vnius esset approximatum agenti, & ex vi alius ab eodem distaret, posset pati ab agenti: ergo distantia dum non impedit approximationem inter agens, & passum, per seipsam non impedit actionem: ergo si approximatio positua per se necessaria non est, etiam si illam impediatur, nihil impeditur, requiritum ad influxum; aliàs per seipsam formaliter influxum non impedit, vt modò probauimus: ergo si positua approximatio non requiritur inter agens, & passum, poterit passum pati ab agenti distanti, & non approximato: Consequens est contra omnem experientiam: ergo antecedens falsum.

SEXTA CONCLUSIO: Ut agens recipiat aliquem effectum à Deo productum, vel à seipso per actionem immanentem productum, non debet supponi praesentia ex parte passi, neque ad talem passionem supponitur concomitanter, tanquam quid necessarium ortum à subiecto, quo ablato, & subiecto permanente, eodem modo passio illa subsisteret. Hae conclusio necessarium tenenda est, iuxta dict. Controversiam 15. puncto 7. vbi tradidi posse entitatem aliquam omni praesentia absolui. Pono, verbi gratia equum omni praesentia destitutum, tunc Deus conseruaret formam equi dependentem à materia, & reliqua alia accidentia, siue educta ex quantitate, siue ex materia prima equi, siue ex toto composito, & absque aliqua praesentia ex parte subiecti: ergo ad hoc vt subiectum formam aliquam substantialem, siue accidentalem patiatur, à Deo non praerequiratur praesentia ex parte subiecti, sed aequè benè poterit effectum conseruari dependentem à subiecto, siue hoc praesentiam habeat, siue illa careat. Quod si potest forma conseruari à Deo in subiecto carente praesentia, eodem modo posset produci ab eodem agente: conseruatio enim, & prima productio respectu eorumdem principiorum intrinsecè in nullo differunt. Idem dicendum esse de effectu ab eodem subiecto immanenter producto, eadem ratione probatur. Si Deus conseruaret equum absque omni praesentia, illum naturaliter conseruaret cum eisdem passionibus, quae naturaliter illum comitantur, ea ratione, quia illi naturaliter comeniunt, sed equo naturaliter conueniunt passionibus productis, & conseruata ab eadem substantia equi: ergo tunc conseruaretur cum eisdem passionibus conseruatis ex vi eiusdem actionis, quàm modò conseruantur procedentis ab equo: ergo equus sine praesentia naturaliter conseruaret suas passionibus, neque ablata praesentia naturaliter deficerent passionibus, & proprietates, quae naturaliter essentiam comitantur, neque actiones, ex vi quarum producuntur, quia quilibet essentia per simplicem emanationem dependenter ab omni alio est productiua suarum passionum. Ratio à priori vtriusque partis conclusionis facili est. Praesentia requiritur vt approximetur agens, & passum: sed independentem à quacumque praesentia superaddita per suammet entitatem quodcumque passum est approximatum Deo, vt probauimus Controversia 15. puncto 8. ergo non requiritur praesentia vt passum approximetur Deo: ergo neque vt patiatur aliquem effectum ab illo, quia eo ipso quod Deus sit approximatus, potest agere in passum: sed per seipsam est approximatus: ergo seclusa praesentia passi poterit Deus naturaliter agere in passum. Idem dico de agente in se ipsum per actionem immanentem: nulla entitas indiget praesentia superaddita, vt sit sibi metipsum approximata, quia entitas per se ipsam est sibi summè praesens: ergo non indiget praesentia ad agendum in se ipsam: quia praesentia tantum requiritur ad approximationem inter principium actiuum, & passum, quae si subsistat sine praesentia, nullo modo praesentia necessaria erit.

Eandem doctrinam confirmat conseruatio impulsus in instanti, in quo ex vi illius corpus mouetur: in illo enim impulsus est prior praesentia mobilis: ergo non potest esse posterior illa: ergo receptio impulsus in instanti conseruationis nullam supponit praesentiam ex parte passi. Ex hoc infero impulsus in instanti, in quo ex vi illius mouetur corpus, tantum posse dependere efficienter à Deo, qui independentem à praesentia passi est illi approximatus, non vero ab alia causa creata distincta à mobili, quia requiritur ex parte actus primi ad operandum approximationem constitutam in praesentia superadditis agentis, & passi, & haec supponi non potest ad productionem impulsus in instanti, in quo ex vi impulsus mouetur corpus, quia praesentia quam

quam in illo habet corpus mobile est posterior impulsu, & ab illo producta.

13 Ex tota doctrina tradita clarè constat non rectè intulisse Arriagam, ex eo quod viuens non indigeat approximatione ex parte actus primi ad mouendum localiter corpus, non illa indigere ignem ad calefaciendum lignum, quia approximatō requisita inter viuens, & mobile in instanti temporis, in quo hoc mouetur ab illo localiter, est

quid consequens motum localem, & ita neque potest, neque necessum est illum antecedere: approximatō verò requisita inter agens, & passum in instanti temporis, in quo est motus, non est quid consequens motum, ac proinde potest, & necessum est illum antecedere, quia quidquid requiritur in aliquo instanti temporis, & non concomitanter, neque consequenter, sicuti approximatō respectu motus localis, debet necessariò antecederet requiri.



LIBER OCTAVVS PHYSICORVM.



CONTROVERSIA XIX.

De mundi inceptione.

D V o sunt entium genera permanentium, & successiuorum, de quibus non eadem est difficultas circa ipsorum inceptiōnem, an videlicet ab aeterno esse potuerit. Dicam prius de permanentibus, in quibus minor est difficultas, & postea agam de successiuis, & vltimò inquiram an ab aeterno potuerint esse generationes.

PUNCTVM PRIMVM.

An creatura permanens potuerit esse ab aeterno.

1 IN hac re scèdè errauit Philosophorum Princeps, qui mundum fuisse ab aeterno sentiebat, vt testatur D. Bonauentura & plures antiqui Philosophi ex illius discipulis, quos referunt Patres Conimbr. libr. 8. cap. 2. quæst. 3. art. 1. error iste ex insanissimò delirio trahebat originem, putabat enim Deum non liberè, sed necessariò operari, & ita non potuisse suam operationem cohibere, & ab aeterno non produxisse mundum. Deo Optimo Maximo perfectissimam inesse libertatem circa omnia effecta ad extra producenda ostendit naturæ lumen, creaturas omnes in tempore produxisse pluribus scripturæ testimoniis reuelatum est. Genes. 1. *In principio creauit Deus caelum & terram*, & Psalm. 101. *In initio tu Domine terram fundasti*, neque aliqua pro errore Philosophi apparens potest adduci ratio, quam referri otiosum non esset. Contendendum est inter Catholicos an creatura aliqua ab aeterno creari potuerit, quod modò de permanenti disputo.

2 Nullam creaturam permanentem potuisse à Deo, produci ab aeterno sentiunt Henr. quodlib. 1. quæst. 7. & quodlib. 9. quæst. 19. & alij apud Patres Conimbr. infra, quibus consentire videtur N. Toletus 8. Physicor. q. 2. Oppositam sententiam defendunt D. Thom. 1. part. quæst. 46. art. 2. P. Suarez. 1. Metaphysic. disp. 20. sect. 6. num. 11. P. Vasquez tom. 2. in 1. part. disp. 177. cap. 5. P. Valent. tom. 1. disput. 3. quæst. 3. punct. 2. §. *Secunda assertio*. Patres Conimbr. 8. Physicor. cap. 2. quæst. 6. art. 2. Rub. tract. de æternitate mundi, q. 2. P. Hurtad. disp. 16. sect. 1. P. Arriaga disp. 17. sect. 2. subsect. 2. & alij plurimi apud istos, quibus ego subscribo.

3 Probant Hurtadus, & Arriaga, aliique plurimi sententiam hanc, ex eo quod causa non debeat tempore præcedere effectum, ex quo inferunt Deum ab aeterno existentem ab aeterno posse creaturam aliquam producere. Causam non debere præcedere effectum prioritate temporis suadet experientia, qua videmus lucem in primo suæ du-

rationis instanti medium illuminare, & ratio rem conuincit, quia in agentibus, quæ contrarium non habent, nullum caput reperiri potest, quo in primo suæ existentie instanti impediatur, ne effectum producant, quem producant in secundo, neque ratio est aliqua, propter quam in hoc secundo, & non in illo primo operentur, cum eadem sit virtus agentis in primo instanti, in quo existit, & in secundo, in quo idemmet perseuerat. Deinde vt virtus in hoc instanti se per actionem exerceat, requiritur illius existentia in hoc instanti, & existentia præterita per accidens se habet ad actionem nunc exercendam: ergo hæc virtus, à qua actu existenti procedit actio, eodem modo principium erit huius actionis siue ante extiterit, siue non extiterit: ergo dum existant in hoc instanti eodem modo operabitur, siue in hoc instanti existere incipiat, siue extiterit. Idem dico de causa libera respectu effectus liberi futuri, qui potest esse coæuus suo principio, quia ad hoc vt voluntas in hoc instanti liberè se determinet, tantum requiritur in hoc instanti esse indifferentem ad operandum, & non operandum, & impertinenter se habet in instanti antecedenti indifferentiam præcessisse. Quod si in instanti, in quo datur operatio ex suppositione quod detur, non possit non dari, necessitas hæc tantum est consequens, quæ libertatem integram relinquit, quia in hoc instanti ita est actus liber, vt potuerit non esse. Hac ratione Deus ab aeterno liberè se determinauit ad producendas in tempore creaturas, & omnia illius libera decreta sunt æquè æterna cum ipso Deo. Eodémque modo Angelus in primo suæ creationis instanti liberè potuit operari.

4 Cæterum etsi verum sit causam non debere tempore effectum præcedere, non ex hoc capite soluta est præsens quæstio, neque adæquata potest desumi ratio ad nostram conclusionem probandam, posset enim aliquis dicere creaturam ab aeterno existentem repugnare, non ex eo formaliter quod illam debeat præcedere causa, à qua producit, sed quia secundum se independentem à præsentia temporis quam causa debeat habere respectu effectus, repugnat effectum aliquem ab aeterno existere. Ex quo fit causam creatam existentem in tempore non debere effectum tempore præcedere, debere tamen causam increatam existentem ab aeterno tempore præcedere effectum ab illa productum, non quia hæc præcedentia conducant ad causalitatem, sed quia causa increata per se habet esse ab aeterno, & effectus creatus per se petit esse in tempore, ex quo fit causam increatam necessariò habere temporis præcedentiam respectu effectus. Conducat tamen ratum esse causam non debere tempore præcedere effectum, ne ex hoc capite intendat aliquis probare creaturam non potuisse existere ab aeterno, quia illius causa debuit tempore præcessisse, quod falsum esse tam in causis liberis, quam in necessariis iam ostendi. Huius conclusionis solida, & adæquata probatio fumenda est ex solutionibus argumentorum, quæ fieri possunt contra creaturam permanentem ab aeterno existentem. Breuiter argumenta propono, & soluo.

Obiic. primò: *Creatio est productio rei ex nihilo*, sed si effectus fieret ab aeterno non fieret ex nihilo, quia non præcessisset nihilum, seu negatio illius, ex quo fieret: ergo non crearetur

Hh 4